

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertationem Moralem De Norma Actionum Humanarum
Indultu Facultatis Inclytiae Philosophicae In Celeberrima
Academia Lipsiensi die VII. Maii Ann. MDCXCIIIX. H. L. Q.
C. sub Praesidio Dn. M. Joh. ...**

Lipsiae, 1698

§. I

urn:nbn:de:bsz:31-102642



§. I.

Domestico quisque exemplo edocetur, voluntati sibi relicta parum inesse constantiae, sed eam nunc in hanc, nunc in illam partem propendere, modò in hoc, modò in illud objectum ferri, & saepe eandem rem diverso tempore placere ipsi, & ejus tedium experiri. Et majorem quidem adhuc varietatem deprehendemus, si libeat diversorum hominum voluntates excussum ire, & quid inter se convenient, quidve discrepent, examinare. Profecto, nisi externa quædam vis uniendi accederet, plerumque voluntates humanæ in contrarias partes discessuræ essent, longeque diversa perpetuò objecta seqyuturæ. Verum cum socialitas, ad quam homo producetus est, animorum consensionem vel maximè desideraret, hinc coercenda fuit disfluens hæc & vaga voluntatis humanæ libertas, certiè limites definiendi, extra quos exerrare ipsi nefas esset, seu quod idem est, certa norma sive regula constituenda fuit, secundum quam homines actiones suas instituerent, ut essent justæ, & juxta quam actuum suorum æquitatem & iniquitatem, bonitatem & malitiam judicarent. Norma haec trito vocabulo legis venit, quæ definitur à Grotio d. I. B. & P. L. c. i. §. 9. per Regulam actuum moralium, obligantem ad id, quod rectum est. Quæ definitio probari non posse videtur. Dum enim legem facit regulam actuum moralium, supponit, dari actus morales, seu bonos vel malos citra respectum ad legem, quod consistere neutquam posse existimamus. Nihil enim remotâ omni impositione, concipi potest bonum vel malum. Qui enim aliquid dari per se bonum, vel malum contendunt, videntur dicere, cuius evidentem conceptum nec ipsi, nec quisquam aliis formare potest. Moralitas itaque omnis dependet à

A 2

deter-

id determinatione alicujus agentis liberi, quod eam actioni vel ob sub-
iecti, à quo illa procedit, conditionem vel ex merè spontaneo
arbitrii sui motu, imposuit. Sed tamen nihil impedit, quò minus
actiones nonnullæ per se morales seu bonæ aut malæ dicantur; non
quasi moralitas ab intrinseca rei natura, præcisè ab omni impositio-
ne proveniret; sed quòd propter convenientiam vel disconvenien-
tiā cum natura humana ex p̄ceptæ sunt à DEO, vel prohibitæ.
Neque alio in sensu probare possumus, qua habet Ziegler. ad Grot.
Lib. I. cap. 1. §. 10. verb. Jus Naturale, ubi ita inter alia loqui-
tur: *Jam ut constet, urum aliquid pugnet cum jure Naturæ*
primævo an secundario, probè tenetum est, quadam apud creaturas
rationales, in ordine ad DEUM, & inter se, justa & recta esse
quia DEUS aliter velle non potest, quæd; adeò suā justitiā intrinse-
ca omnem voluntatem DEI liberam antevertunt. Consequenter igi-
tur sunt mala quadam idèo, quia DEUS non vult; quadam vero Deo
non vult idèo, qui mala sunt. Quæcunque ergo sive bonitate suā, si-
re malitiā intrinseca voluntatem DEI liberam in signo rationis ante-
*vertunt, illa pertinent ad ius naturale primævum, à quo vel preci-
piuntur, vel prohibentur; quam si per bonitatem vel malitiam*
suam intrinsecam, intelligat convenientiam vel disconvenientiam
cum natura rationali & sociali, & proinde voces istas non in sensu
*moralī & proprio, sed impropprio accipiāt; atque sic etiam conce-
di potest, nexus horum actuum cum natura humana antevertisse*
liberam voluntatem DEI, quatenus scilicet positâ hâc conditione,
*quòd DEUS vellet animal rationale & sociale producere, non pote-
rat non actus ei necessariò convenientes præcipere, & disconve-
nientes vetare; cum aliás fini à se sapientissimè intento contra ventu-
rus fuisset. Quæ de Jure Nat. primævō & secundariō habet, alio-*
loco subexamen revocabimus. Non itaque lex est regula actuum
*moralium, sed per se indifferentium, & qui moralitatem suam à con-
venientia vel disconvenientia cum regula accipiunt. Et hinc rejici-
mus etiam illa verba, cùm Grotius ait, legem obligare ad id, quod*
*rectum est. Rerū enim vox moralitatem, & in specie quidem conve-
nientiam cum lege involvit; quæ proinde non est objectum legis, sed*
per ipsam legem demum obligatio ad eandem involvitur. Non ita-
que

que lex obligat ad id, quod jam ante rectum est, quale nihil, ut jam dixi, datur; sed ad hoc obligat, ut inferior actionem suam juxta legis præscriptum componat, quod prolixè passim & perspicuè deduxit *Pufendorfius*. Nobis ergo definire legem placet per regulam à superiori constitutam, que obligat inferiorem, ad actiones suas juxta eam dirigendas. Quæ res cum videatur uberiore explicationem mereri, inde prolixius singula perseqvemur. Et Regulam quidem legem dicimus, cùm ejus formalis ratio, & proprietates apprimè ad legem quadrent. Et inanis valdè est subtilitas, quòd nonnulli generis hujus ineptitudinem ex hoc fundamento evincere conantur, quòd vox hæc Mechanicis sit propria, & hinc nonnisi in sensu improprio & figurato ad legem trahi possit. vid. *Job. à Felde Annot. ad Grot. d. J. B. & P. Lib. I. c. 1. §. 9.* Quis enim vocem hanc præcisè ad Mechanicorum officinas damnavit, quin adhiberi in legis definitione posit? Verba valorem ex usu & consuetudine habent; quam in hoc casu non deficere, inconfesso est. Sed pudet, in his lacunis hærere. Dicimus præterea, quòd hæc regula debeat à superiori constituta esse. Quo ipso exprimitur causa efficiens legis, quæ semper est superior, & quidem intuitu potestatis & juris competentis; sola enim superioritas respectu dignitatis jus legem alteri præscribendi non tribuit. Ulterius dicimus, regulam hanc obligare. Præcipua enim legis & ipsi intrinseca vis est, quòd in inferiore obligationem ad ei conformiter operandum producit. Quod ut rectius intelligatur, juvabit, naturam obligationis, originem, subjectum denique ejus activum, uti loquuntur, & passivum expendisse. Describunt communiter *J. C. t. obligationem a. l. 3. & 25. ff. d. O. & A. per vinculum juris*, quòd quis necessitate adstringitur alicujus rei præstanda, seu quòd quis ad dandum, faciendum, vel præstandum aliquid adstringitur. Quæ definitio cùm ferè metaphoris verbis, & hinc obscuris concepta sit, inde uberioris aliquantò ejus sensum proponemus. Nimirum per obligationem coeretur, quasi & limitatur nostrum agendi arbitrium, ita ut voluntas ad contrariam ei, quam obligatio ostendit, partem se determinare sine vitio non posset. Ex quo apparet, pondus veluti quoddam voluntati addere obligationem, & in certis eam actionibus ad alte-

eam partem inclinare, vel saltem inclinare debere; quæ inclinatio tamen non confundenda cum illis vergentiis, quæ voluntatem sèpè ad certum genus actionum propendere faciunt, & quæ à consuetudine, peculiari temperamento, affectibusque procedunt. Illæ enim efficiunt in voluntate propensionem physicam; hæc autem moralis; quæ moralis propensio videtur consistere in peculiari sensu & motu voluntatis, quo laudem quisq; appetit, & lætatur, se obligationi incumbenti convenienter agere; & contrà stimulos conscientiæ sentit, & propriam veluti in se censuram exercet, cùm seculis, quām obligatio postulat, fecit. Unde & illud sequitur, si quid fortasse mali actionem obligationi incumbenti disformiter institutam excipiat, nullam agenti de eo conquerendi justam rationem esse, cùm in ejus fuerit arbitrio, in alteram i.e. & bonam partem determinare. Voces itaque illæ in definitione posita, *vinculum, adstringi, respiciunt impulsum peculiarem in voluntate, quo ad determinandum se in eam partem, quam obligatio monstrat, spe laudis & præmii movetur, à contraria autem metu vituperii & poena refutat.* Conf. *Pufend. d. J. N. & G. I. VI. §. 5.* & *d. Offic. Hom. & Civ. L. I. c. II. §. 5.* Et cùm haec modò explicata obligationis definitione coincidit illa, quam exhibet *Justinian. pr. I. d. Obligat.* quod nimirū sit juris *vinculum, quō necessitate adstringimur alicuius rei solvendæ secundum nostræ civitatis jura;* Nisi quod non descripsisse videtur obligationem in sua latitudine; sed eam solam, quæ ex vinculo jurim specialium, nimirum civitatis Romanæ originatur; illam autem *Pufend.* passim inculcat; cùm obligationem vult esse qualitatem moralem operativam, quā quis præstare, aut admittere, vel pati tenetur aliquid.

§. II.

Hæc de natura obligationis, cuius originem priusquam excutiamus, libet *subjectum* considerare, utpote cuius aliquam cognitionem originis perceptio supponere videtur. Et prius quidem est, ut agamus de *subjecto recipiente obligationem seu passivo.* Id vero homo est. Hunc enim aptum ad obligationem recipiendam esse, dupli potissimum argumento evincimus. (1.) Ex natura voluntatis humanæ, (2.) ex conditione hominis, ab ejus productione pen-